

CA. P. U. T. IV.

De cambiis, censibus, & aliis contractibus peculiaribus.

P. U. N. C. T. U. M. I.

Notio, & divisio cambi.

181. Inq. 1. Quid sit cambium? R. quod licet cambiū lato modo idem sit, ac quælibet permutatio, strictè tamen sic definitur: *Contractus commutationis pecuniarum, qui communitè causa inter exercetur.* Est igitur cambium permutatio unius pecunie pro alia eum aliquo lucro, distinctaque contractus ab omni alio. Campsor dicitur, qui cambium campensarius, qui cambium accipit, vel ille in cuius favorem fit, unde ipsa ars appellatur camporia.

182. Dividitur primo cambium in reale, & sicum. Reale est, in quo una pecunia pro alia vere permutatur. Sicum est, in quo solum adest fictæ pecunie permutatio, & fit quando indigena pecunia Romæ accipit eam ibidem, reddendam juxta valorem cambiorum Lugdunæ in proxima feria. Hujusmodi cambium est usura palliata; est enim verum mutuum, & fictum cambium subrogans distantiam temporis pro distantia loci. Cambium reale dividitur in manuale, seu minutum, & in locale, seu per litteras. Minutum dicitur, quando una pecunia pro alia majori, aut minori datur a manu in manum, idque circo manuale appellatur. Locale dicitur, quando pecunia in uno loco tradita permutatur in aliam, diverso loco reddendam: & quia hoc communiter fit per chirographa, appellatur cambium per litteras. Utrumque autem hujusmodi cambium, secluso dolo, ac fraude, esse licitum communis tenet sententia.

183. Inq. 2. Quo titulo licitum sit licrum in cambio manuali? R. plures assignari posse. Primus est ipsum officium cambiandi, sive a Magistratu injunctum, sive sponte susceptum in utilitatem communem: quia valde reipublicæ utile est habere paratas pecunias tum majores, tum minores juxta exigentias occurren-

tes. Si autem campsor habeat stipendium designatum pro munere exercendo, nihil potest accipere a petentibus cambium: nullus enim stipendio conductus valet amplius recipere, si fideliter, ut debet, velit munus suum exercere. Quot fraudes, ac injustitias in Curias, ac Tribunalibus non sine dolore vidimus, & in præsentis conspicimus. Unde famulicamporum debent tradere creditoribus eandem pecuniam, quam a dominis acceperant, quoniam debent fideliter agerem dominorum, a quibus stipendium percipiunt.

184. Secundus titulus est labor congregandi, numerandi, conservandi, ac distribuendi pecunias cujuscumque generis pro communi utilitate. Tertius (omissis aliis) est ipsa diversitas intrinsecæ monetæ. Nam licet in ratione monetæ omnes sint ejusdem valoris, non tamen in ratione mercium, quarum vices gerunt monetæ in cambio manuali, ubi una est utilis altera ad sportandum, seu distribuendum. Lucrum pro cambio exigendam arbitrio peritorum in arte regulandum est.

185. Inq. 3. An liceat quilibet privato cambio minuto lucrari? R. quod si fiat in quantitate notabili, aut frequenter, potest quilibet lucrum moderatum ex hoc cambio reportare, propter superioris expositas rationes. Excipe clericos, quibus vetitum est hujusmodi cambiis operam dare, ut ait Bened. XIV. in Synod. lib. 10. c. 6. n. 1. Si autem quis unum, aut alterum aureum, sive scutum permutans lucrari vellet, nimis avarus se proderet: Hæc enim cambia gratis sunt facienda, ut natura sociali familiaria.

186. Inq. 4. Quo titulo sit licitum cambium locale? R. dari aliquos, quorum primus est translatio, sive sportatio pecunie de uno in alium locum, sive intra, sive extra Regnum, proportionem distantie considerata. Campsor gerit vicem bajuli virtualis in translatione pecunie. Secundus titulus esse potest major estimatio pecunie in uno loco, quam in alio, quæ suppleri a campensario debet. Tertius titulus est, quod distans præsens utilior est, quam distans periculis, ac expensis exposita. Non tamen licet ab initi-

pa-

pacisci de interesse reportando ob casum, non solutionis tempore prefixo, nec cambium exerceri nisi pro primis nundinis, ne protrahantur ad secundas, & deinceps sine termino, ut decrevit Constitutio a Pio V. edita Kalend. Februar. anno 1571. Vide Bened. XIV. in Synod. Dioces. lib. 10. c. 5. n. 7.

P. U. N. C. T. U. M. II.

De censibus.

187. Inq. 1. Quid sit census? R. quod census prout in præsentis definitur: *jus percipiendi aliquam pensionem ex persona, vel ex re alterius utili, aut fructifera.* Nam esto census etiam significet tributum pro capite solvendum juxta illud: *An liceat censum dari Cæsari?* in præsentis tamen sumitur pro jure explicato. Unde materia census, inspecto jure naturali, est quælibet res utilis, aut fructifera, sive mobilis, sive immobilis. Res autem infructuosa, & inutilis nequit esse materia census. Vendens censum, ac solvens pensiones dicitur *censualista*; emens vero, ac illas percipiens *censualista* nuncupatur.

188. Inq. 2. Quotuplex sit census? R. primo dividi in *reservatum*, & *consignativum*. *Reservatum* est, cum quis rem suam alteri confert, reservato sibi jure, quotannis partem aliquam recipiendi ex eo, uti fecit Joseph Genes. 47. reddens Ægyptiis possessiones, aliquam fructuum partem Regi reservans. De hoc censu non est nobis sermo. *Consignativus*, de quo nunc agimus, est eum quis, retentis suis bonis, usuque eorum, alteri consignat certam pensionem, quam se obligat singulis mensibus, aut annis solvere.

189. Deinde census consignativus dividitur in *realem*, *personalem*, & *mixtum*. *Realis* est, qui instituitur supra prædium, fundum, domum, aut aliam rem fructiferam, quæ cum isto onere transit ad quemcumque possessorem. *Personalis* est, qui fundatur supra personam, quæ manet obligata ad pensionem ex suis bonis, aut operis. Unde licet hypotheca assignetur ad securitatem, jus tamen principalis est in personam, quæ sem-

Tom. I.

per obligatur, etiam illa pecunte, imo etiam in hæredem transire potest. *Mixtus* est, qui fundatur tam supra personam, quam supra res, & utrumque equaliter obligat. Ex parte materie, seu pensionis dividitur census in *pecuniarium*, puta cum pecunia recipitur annuatim: quod frequentius contingit, & in *fructuarium*, ut cum solvitur pensio in vino, oleo, aut alio fructu. Ex parte temporis dividitur in *temporalem*, qui durat tempore designato. *Perpetuum*, qui semper durat: & *vitalitium*, qui durat pro tota vita. Denique ex parte modi instituendi dividitur in *redimibilem*, qui redimi potest arbitrio, & pacto contrahentium, & in *irredimibilem*, qui numquam redimi valet.

190. Inq. 3. An census sicut liciti jure naturæ inspecto? R. quod census realis irredimibilis sine dubio est licitus, quia est quædam emptio, & venditio juris ad pensiones percipiendas, seu partibilis usufructus rei fructiferæ, sicut igitur pars hujus rei licite potest in perpetuum vendi, ac emi, ita pars fructuum ejusdem, vel jus ad illam. Idem teneas de censu reali redimibili ad nutum venditoris, seu censuarii, moxto prius tempore congruo censualista, ut sic suis negotiis opportune consulere valeat: census enim ita constitutus omni caret usuræ suspicionem. Contra, quia ab hujusmodi suspicionem non vacat census redimibilis ad placitum censualistæ, seu emptoris, probabilis est feneratorius, ac illicitus. Si enim mille aureis emas jus quotannis percipiendi quinquaginta, cogens venditorem, ut cum velis, redimat, securum reddis tuum capitale, quod idcirco revera mutuas, & ultra illud pensionem recipis, ut egregie docent Salmanticenses cum Soto *tract. 14. cap. 4. n. 41.*

191. Objic. 1. Census redimibilis ad placitum venditoris non caret usuræ suspicionem, ergo est illicitus. Prob. antec. quia dum census redimitur, percipit emptor totum capitale, supra pensiones receptas, quod usuram redolet. R. quod dum census imponitur, emit censualista justo pretio partialem usufructum prædii, seu rei fructiferæ. Si ergo censuaris velit suo tempore illud redimere, aut denovo emere, æquum est, ut totidem red-

liiium

dat

dat, in quo nulla est usura.

192. Objic. 2. Pensiones simul sumptæ sæpe superant capitale, ergo contractus census est injustus. R. quod etiam fructus agri venditi in perpetuum, aut longum tempus collectivè sumpti superant pretium, quo emitur, quin hinc reddatur injusta ejus emptio, ratio autem utriusque casus eadem est, nimirum, quod æquitas pretii sumitur per respectum ad valorem mercis consideratæ tempore traditionis, non per comparationem ad fructus, quos longo tempore producere valet, ut accidit in venditione cujuscumque rei fructiferæ. Justum pretium in censibus illud judicatur, quod, vel legibus cujusque Regni est taxatum, vel arbitrio prudentum attentis circumstantiis. Census quippe irredimibilis carius est emendus: vilis redimibilis, ac etiam vitalicius.

193. R. 2. Quod census personalis fundatus supra personam operari, ac lucrari valentem jure naturæ est licitus, dummodo sit redimibilis solum ex parte censuarii, quia potest persona habilis ad operas, & industriam eas vendere, seu locare, sicut potest obligari ex eis tributum annuale solvere, ergo inspecto jure naturæ, poterit easdem vendere medio contractu census, dummodo hic non redimatur ad placitum censuaristæ, quia redemptio hæc, ut supra diximus, etiam in censu reali fœneratitia probabilis reputatur. Idem est dicendum de censu mixto. Unde cum census celebrati plerumque sint mixti, etiam perente hypotheca ad majorem securitatem designata, adhuc remanet census, ubi adest consuetudo sic instituendi. Secus est dicendum de censu mere reali fundato super tali fundo, aut agro, quo pereunte in totum, aut in partem, perit similiter ipse census. Verum tamen Bened. XIV. Syn. Diocesana, lib. 10. cap. 5. num. 5. ita de predicto censu loquitur: *Veheementer tamen suspicamus, in censu mere personali, præsertim utrinque redimibili eas desiderare conditiones, quas non solum Pontificia constit. verum etiam ipsum jus naturale, & div. exposcunt, ne sit latus contractus mutui, & propterea eorum Deo usurariis.*

194. Denique census vitalitium, & a fortiori perpetuum esse licitum, omnes

asserunt, quia in emptione juris ad percipiendas aliquas pensiones justo pretio ex re fructifera pro vita alicujus, aut in perpetuum, nulla adest injustitia. In censu autem vitalitio habenda est ratio ætatis, ac valetudinis personæ pro assignando justo pretio.

PUNCTUM III.

De censu jure ecclesiastico inspecto. ¶

195. Inq. 1. Quibus conditionibus instituendus sit census inspecto jure ecclesiastico? R. quod licet Joan. XXII. Martin. V. & Calist. III. aliquas conditiones assignaverint in suis extravaganibus prolata censuum institutione, præcipuas præscripsit Pius V. an. 1569. in Bull. incipiente: *Cum onus*, quibus deficientibus, declarat usurarios census in posterum celebrandos. Conditiones autem præscriptæ sunt duodecim. 1. Census solum instituitur super re immobili, & fructifera, qua conditione excluditur census personalis. 2. Census pretium numerata pecunia solvatur coram testibus, & notario. 3. Anticipata pensionis solutio prohibetur, aut id in pactum deduci. 4. Vetantur pacta obligatoria ad casus fortuitos, præter eos, qui ex natura contractus tenentur. 5. Dominus fundi censui subjecti maneat liber ad eum alienandum. 6. Pacta morosum debitorem obligantia ad lucrum cessans, ad cambium, vel certas expensas irritantur. 7. Non augeatur census pensionibus non solutis. 8. Nulla onera, quæ vi contractus non debentur, solvenda sunt. 9. Pereunte hypotheca in totum, vel in partem, census similiter pereat, aut minuat pro rata. 10. Censuaris valet, quando voluerit, redimere censum eodem, quo venditur, pretio, excluso omni pacto in contrarium inito. 11. Quando censuaris redimere velit, moneat bimestri ante censuaristam. 12. Non augeatur, aut minuat pretium census semel constitutum.

196. Inq. 2. An prædicta Piana constitutio obliget nunc in toto orbe? R. quod dicta constitutio est præceptiva, unde obligat sub gravi omnes fideles, ubi recepta est, nec contraria consuetudine abrogata quoad ea, quæ juris naturalis non suât.

sunt. Plures auctores, & cum eis patres Salmanticenses gravi fundamento docent in Hispania non obligare.

197. Sed insurgit acriter P. Concina lib. 3. de justit. & jure, diss. 4. cap. 12. n. 8. dicens, *Salmanticenses tract. 14. cap. 4. puncti. 2. §. 1. referunt Regem Philippum II. libellum supplicem porrexisse Pontifici Pio V. ut pro Hispania impetraret exemptionem a præfata constitutionis observatione. Imprudens essem, si negarem supplicationem factam fuisse. At jure nego Pontificem summum supplicationem hujusmodi probasse. Si queramus a Concina, quo jure negat Pontificem probasse supplicationem? En jus ipsius. An Christiani Hispani, inquit, eximendi sunt a præceptis, quæ juris naturalis, & divini sunt, aut ab his præceptis, quæ pericula usurarum, & fraudum vitanda jubent? Si Concina fatetur, quod esset imprudens negando Regiam supplicationem, videat, si prudens existat sic loquendo de Regia Majestate, imo de tota natione Hispana, inuens pro exemptione a præceptis juris naturalis, aut divini supplicasse. Sciat autem nullo jure se negare, summum Pontificem Regis probasse supplicationem, nulloque jure ambigere, an Hispani voluerint a præceptis juris naturæ se eximere.*

198. Quod, ut palam fiat omnibus, jubat transcribere quædam aurea verba Bened. XIV. in suo opere de *Synodo Diœces. lib. 10. cap. 5. n. 5.* ubi ad intentum sic ait: *Verum quamquam nos sciamus summum Pontificem, supplicante Rege catholico Philippo II. indulxisse Hispanis, ne ad suæ constitutionis, quoad eas conditiones, quæ juris naturalis, aut divini non sunt, exactam observantiam adstringerentur. Pergit doctissimus Præsul dicens, potuisse etiam ceteras nationes contrario usu, ac consuetudine eximi ab obligatione. Ex hac doctrina sana, ac vera patet in primis, quod nullo jure negatur Pium V. probasse supplicationem Regis catholici: quoniam si indulsit, utique probavit. Patet insuper neque Regem catholicum, neque nationem Hispanam fide, & religione præstantissimam, nullique secundam, unquam voluisse a præceptis naturalibus, aut divinis se eximere. Constat denique, patres*

Salmanticenses prudenti ratione ductos scripsisse Piam constitutionem in Hispania non obligare, aut receptam non fuisse quoad conditiones, quæ juris naturalis, aut divini non sunt: Parum favet Concina pietati Hispania; ista vero ejus opera tamquam oracula plaudit, laudat, & excipit!

PUNCTUM IV.

De locatione, & conductione.

199. Inq. 1. Quid sit locatio, & conductio? R. quod locatio est *traditio usus rei pro pretio*: conductionem autem est *traditio pretii pro usu rei*. Ex his duobus actibus unus contractus completus assurgit, sicut ex emptione, & venditione; ideo, servata proportione, applicari debent huic contractui, quæ de emptione, & venditione dicta sunt. Exemplum hujus contractus habes in Petro tradente Paulo equum, domum, aut prædium ad usum pro aliquo die, aut anno justo pretio. Qui quidem ex parte Petri est *locatio*, seu *locatum*, & ex parte Pauli *conductio*, aut *conductum*. Differunt a mutuo, quia in mutuo transfertur dominium, secus vero in *locato*, & *conducto*.

200. Inq. 2. Quid possit locari? R. posse locari quaslibet res, sive mobiles, sive immobiles, quarum dominium quis habet. Bona autem ecclesiastica solum ad triennium locari valent. Jus petendi elemosynas minime locari debet. Tum quia illam dantes eam non erogarent consensu locationis. Tum quia indeceus est talis locatio, redoletque negotiationem. Tantum in casu quo habens jus quæstuandi esset impeditus, posset illud locare, ut sic suæ indigentia subveniat, quin conducti mercedem solvere omittat. Absit autem, quod in aliqua religione prædicta locatio inter Prelatum, & subditum celebretur; maxima enim heinc inconvenientia consequatur. Absit pariter, quod Prelatus obligare velit subditum, ut sibi tantum annuatim, vel mensualiter afferat; hoc quippe avaritiam redolet, aliaque mala præfert, & contra paupertatem militat.

201. Sicut conductor debet solvere justum pretium, ita locator tenetur dare rem uti-

utilem ad finem conductoris. Unde, si ex hujus mandato pictor, qui se peritum asseruit, quandam depingeret imaginem, quæ conductori deservire ad ejus finem vere nequit, non tenetur solvere imaginem, nec operas in ea depingendam impensas. Debit enim manifestare suam imperitiam, sicut quilibet alius locator vitium rei locatae. Locans operas suas ad custodiam gregis, aut alterius rei, hac in totum, vel in parte absque ulla illius culpa pereunte, ad nihil tenetur in foro interno. Verum in externo probare debet juramento, vel alio modo suam innocentiam, ne ad restituendum adstringatur. Quando a conductore agri nulli fructus absque culpa ejus colliguntur ob infortunium insolitum, puta, ob devastationem hostium, aut extraordinariam inundationem, ex æquitate juris liberari debet a pensione. Similiter hæc minuenda est, quando ob grandinam, vel alium casum fortuitum conductor notabiliter læderetur. Secus quando non ita læditur, licet colligat minus fructuum, quam regulariter colligere solet: quia, nec cum abundantiores colligit, auget pretium, seu pensionem. Imo, nec in annis maximæ uberitatis tenetur plus solvere, quia nihil ex fortuna conductoris locator amittit, sicut in supradictis infortuniiis conductor deperdit. Aliæ difficultates circa locatum, & conductum plus ad juris consultos, quam ad Theologos spectant. Quid sit emphiteusis, & feudum diximus tract. 18. n. 32. & 33.

PUNCTUM V.

De deposito, pignorato, hypotheca, & sequestro.

202. Inq. 1. Quid sit depositum? R. est *traditio rei ad custodiam*. Potest esse cum pretio, & tunc est mixtum, cedit enim in depositarii, & deponentis utilitatem; vel sine pretio, & dicitur purum, nempe in utilitatem solius deponentis. Nequit depositarius uti re deposita, nisi de consensu expresso, vel certo præsumpto domini, non enim traditur ad usum, sed ad custodiam. Debet depositarius reddere depositum domino illud deposcenti, nisi traditio cedat in damnum ejus, vel

proximi, vel nisi bona deponentis sint publicata, aut fisco addicta. Nullus valet detinere depositum titulo compensationis, ut alibi diximus.

203. Inq. 2. Quid sit pignus, aut pignorum? R. est *traditio rei nobilioris pro ignobiliore ad hujus securitatem*. Pignus igitur traditur ad assecurandum mutuum, vel ut ex illo solvatur, si præfixo tempore transacto, & monito debitore non solverit: recipiens pignus nequit illo uti, nisi prout dictum est de depositario. Hypotheca est similis pignori, nam etiam ad securitatem consignatur. Differt ab eo, quia illud traditur in manus creditoris, hypotheca vero manet apud debitorem. Definiri potest sic: *res immobilis obligata creditori ad securitatem sui crediti*. Est duplex, alia expressa consensu partium, alia tacita ex lege, aut consuetudine, ut bona tutoris, curatoris, & mariti pro pupillis, minoribus, aut dote uxoris hypothecata lege censentur. Præterea, alia est generalis afficiens omnia bona debitoris præsentia, & futura, alia particularis afficiens rem determinatam, quæ cum isto onere transit, ad quemcumque pervenerit. Unde nisi obligata, nequit alteri obligari. Nequit vendi, nisi modo dicto de pignore, aut ex debitoris consensu, & solum id quod sufficiat pro debiti solutione.

204. Inq. 3. Quid sit commodatum? R. est *traditio rei ad usum pro tempore determinato*. Commodatarius solum potest uti re ad id, ad quod ei commodatur: alias injuste agit, & ad damna inde secuta adstringitur. Ad extraordinaria detrimenta, quæ per se non annectuntur usui rei, non tenetur. Omni cura debet conservare rem commodatam, facereque expensas ordinarias pro ejus conservatione, ac tandem reddere eam domino tempore constituto sub poena restituendi omne damnum ex mora culpabili subsequutum. *Præcarium* est *traditio rei ad usum cum precibus*. Differt a commodato in eo, quod hoc nequit juste repeti a concedente usque ad tempus designatum, in præcario autem nullum est tempus constitutum, ideoque valet repeti ad arbitrium concedentis.

205. Inq. 4. Quid sit fidejussio? R. est *aliena obligationis in se susceptio, qua quis*

& aliis contractibus peculiaribus. 497
quis se obligat ad solvendum in defectu principalis debitoris. Unde hic prius debet conveniri, & solum in ejus defectu fidejussor. Neque iste ad amplius potest obligari, quam sit obligatus debitor principalis. Debet autem esse habilis ad solvendum, alias esset deceptor, atque ad damna ex deceptione secuta adstringeretur. Uxor prohibetur fidejubere pro marito, & nisi obligatio juramento firmetur, nullius roboris est. Fidejussio gratis fieri debet; si ab omni incommodo, ac molestia immunis sit. Tunc enim non est onus pretio æstimabile: quando illis non caret, potest aliquid moderatum exigere pro fidejussione. Transactio est *conventio onerosa, qua dubia jura, & incerta inter partes componuntur*. Semel inter partes legitime celebrata, eadem vi gaudet, ac Judicis sententia. Et nulla sententia est melior ipsa. Utinam esset frequentior! Eset enim corpori, & anime partium semper utilior. Circa beneficia vero ecclesiastica prohibentur transactiones in cap. de transact. Sequestrum est *contractus, quo res litigiosa tertio custodienda traditur, ut ei reddatur, cui adjudicabitur*. Mandatum est *obligatio gratis accepta agendi aliquid in alterius commodum*. Si aliquid pro eo accipiatur, erit operæ locatio. Quod gratis promittitur, gratis fieri debet; alias non fideliter adimpletur. *Leg. 1. §. mandatum.*

PUNCTUM VI.

De ludo.

206. Ludus communiter accipitur pro omni eo, quod animum recreare valet, ac illum divertere moderate a fatigatione, & labore; quod si verbis fiat, *jocus* dicitur; si factis, *ludus*; si utrisque, *lusus*. Ex natura sua est indifferens ad bonum, vel malum ordinabilis. Si igitur ob finem honestum animum recreandi debitis circumstantiis fiat, est licitus, pertinetque ad virtutem eutrapeliæ: ut docet D. Thom. 2. 2. q. 168. a. 2. At potest esse vitiosus, vel ratione materiæ, ut si esset de rebus turpibus, aut cum profanatione sacræ scripturæ, seu sacramentum vestium; quibus in casibus est peccatum grave, vel ratione finis, & tunc

culpa erit talis, qualis fuit finis. Unde ludere precise propter lucrum est veniale; si lucrum notabile intendat malis artibus, aut dolis mortale. Qui autem ludit animo se recreandi principaliter, & secundario lucrandi ex hoc capite nullam culpam committit. Imo ludens animo lucrandi non precise ob ipsam lucrum, sed ut propriæ subveniat indigentia, præcisus aliis, non peccat. Potest etiam vitari ludus ratione temporis, loci, aut personæ, quod enim decet unum, non decet alium. His ita prænotatis.

207. Inq. 1. Quid sit ludus lucratorius? R. est *passum, in quo victori certaminis res ab utroque exposita tribuitur*. Dividitur in *industriosum*, in quo dexteritas, ars, industria, seu robur majorem habet partem; & in *fortuitum*, in quo fortunæ, vel casui saltem pro majori parte exitus committitur. Esse licitum hujusmodi ludum ex natura sua; debitis servatis conditionibus, communior sententia propugnat, quia sicut unusquisque potest rem suam alteri donare absolute, ita transferre in alterum illius dominium sub aliqua conditione, sive industriosa, sive fortuita. Nihilominus ludo, & joco ita utendum est sicut cibo, & somno, quorum finis est levamen naturæ. Unde plerumque ludus vitatur, vel quia hic invertitur, vel quia plus æquo temporis in eo insumitur, vel quia aliz conditiones, ad ejus honestatem necessariæ, non servantur.

208. Inq. 2. Quæ conditiones requirantur, ut ludus utrimque lucratorius sit licitus? R. tres precipue requiri. *Pri-ma*, quod ludens sit dominus rei, quam ludo exponit, & libere possit de illa disponere. Unde nemo potest ludere cum stulto, latrone, puero, mancipio, filio familias, aut religioso ea, de quibus nequeunt absque licentia superiorum respective libere disponere. Idem tenetur de ludente cum clerico, qui tantum gaudet bonis Ecclesiæ, quorum superflua debet ex justitia pauperibus erogare, nisi expositum in ludo sit parvi momenti.

309. *Secunda* conditio est, quod alter alterum vi, dolo, fraude, convitiis, aut minis non compellat ad ludendum; alias lucrari nequit, & ad restituendum lu-

crum tenetur, quia esto contractus validus sit; est tamen injustus, ac lucrum injuste acquisitum. Idem est de eo, qui victorem recedere violentam compellit ad prosequendum, asserens aliter deperditam non soluturum.

210. *Tertia*, quod serventur leges ludi, nec fiant fraudes contra illas. Unde qui ludit pluribus, aut falsis chartis, vel eas occultat, aut peculiari signo notat, vel adulterat, aut taxillos supponit, vel plura puncta pro se, & pauciora pro alio numerat, vel simulatum habet correspondentem, qui adversarii chartas indicet, aliusve fraudibus utitur, graviter peccat, & ad restitutionem tenetur. Hujusmodi enim fraudes aperte sunt injuste.

211. *Alia* dicuntur permissa in ludo, & sunt illae, quas ipsi ludentes communi consensu statuere, vel in tali loco sunt receptae: quia contractus, nisi aliud exprimitur, censetur celebrari juxta consuetudinem loci, in quo inicitur: at in dubio standum est iudicio peritorum in ludo. Igitur inter fraudes, seu astutias in ludo permissas reputatur primo, quod habens chartas meliores, & certam victoriam provocet alium ad augendam sponsonem (vulgo *embidar el resto*) quamvis simulet, aut denotet timorem in vultu; nam alter etiam idem efficere valet. *Secunda*, cum chartis inferioribus provocare audacter sponsonem, ut alter timens recuset. *Tertia*, cum chartis melioribus simulare formidinem, ut alius animosius provocet, & plus amittat. *Quarta*, videre adversarium sumere plures chartas, quam debeat, & silere, ut ob hunc excessum perdat. *Quinta*, aspiciere chartas minus custoditas ab adversario ex ejus oscitantia. *Sexta*, non monere socium errantem in calculorum numeratione, quando in tali casu tacere est in loci consuetudine. Addo tamen, quod licet hoc permittatur, dum socius lucratur; verum quando ex tali errore amitteret notabilem quantitatem, saltem ex caritate moneri deberet.

ПУНКТУМ VII.

De ludo vetito.

212. Inq. 1. Qui sint ludi vetiti? R.

esse illos, qui principaliter fortuna nituntur, & primario, illi in quibus mero casu fortuito victoria obtinetur, & isti alearum nomine praecipue intelliguntur. Omnes autem ludentes ludis vetiti peccant juxta gravitatem materiae, & restituere lucrum tenentur, ubi leges, illos prohibentes, vigent in suo robore, aut contrario usu non sunt abrogatae: ita D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. quod quidem verificatur in nostra Hispania, Reges enim Catholici Filipus V. Ludov. I. Ferdin. VI. & tandem Carolus III. summa cura invigilarunt pro observantia L. 8. tit. 7. lib. 8. R. in qua hujusmodi ludi sub gravissimis prohibentur poenis, ut pote seminaria innumerabilium rixarum, blasfemiarum, ruinae familiarum, aliorumque, experientia teste, malorum. Peccant ergo graviter his legibus non obtemperantes. Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. de reform. renovat omnia sancita in aliis Conciliis, ac summis Pontificibus contra clericos vacantes luxui, comestationibus, choreis, aleis, & luxibus, eorum statui indecentibus.

213. Inq. 2. An sit licitum ludere praecipue sacras ita, ut victus tot Psalmos recitare debeat pro animabus purgatorii? R. quod licet aliqui hoc improbent, & Concina appellet hanc devotionem imprudentem; tamen dicimus, nec motivum improbandi, nec ullam imprudentiam in hoc pio ludo reperiri: quia nullo jure interdicitur spiritualia spiritualibus commutare, nisi in beneficialibus, neque aliqua irrogatur rei spirituali injuria, dum non intenditur humanis pactis subjicere rem spiritualem: alias fidei primarius hujus ludi est animi levamen, simul autem aliquid lucrari in subsidium animarum, quod piissimum, non imprudens est. Idcoque haec laudabilis devotio animabus suffragandi apud nostrates adeo invaluit, ut, etiam cum animam tantisper recreamus, earum solatio intendamus. Sed dicit Concina: est tempus ludendi, & tempus orandi. Utique, Verum non oramus ludendo, sed ludimus, ut oremus. Suo tempore sobrie ludunt nostri, & suo tempore devote orant. Ludunt parum, & orant multum. Imo quis prohibet aliquam breven orationem saltem internam in ipso ludo? Quis prohibet levare mentem

tem in Deum, aut facere aliquem actum fidei, spei, caritatis, patientiae, aut humilitatis, vel invocare, sive ore, sive corde nomen *Jesu* in eodem tempore ludi, offerreque illud in suffragium animarum? Hoc quidem laudabile est; licet, uti dixi, hora permissa datur locus moderato ludo, & postea choro, & aliis pietatis exercitiis attenditur, & animae purgatorii allevantur.

214. Inq. 3. An ludens ad creditum teneatur solvere, quod perdit? R. quod jure naturae standum est intentioni ludentium, & communi consuetudini loci. At jure positivo communi non tenetur victus solvere, quod in tali ludo amissit. Jure autem Castellae, esto ludus non sit veritus, idem est dicendum ex dispositione Caroli V. ut habetur leg. cit. quam Carolus III. anno 1772. & 1776. corroboravit, statuens ludos permissos, locum, modum, quantitatem lusoribus permissam, aliaque in hac materia valde utilia, quorum inobservantia abs dubio esset graviter peccaminosa. *Per me enim*, ait Dominus; *Reges regnant, & legum Conditores juxta decernunt*. Alearum ludus juxta aliquos fuit inventus ab Aleo in bello Trojano, ad levamen militum, juxta alios a Diabolo, ad animarum perditionem.

215. Pro coronide hujus puncti observet prudens Confessarius, quod ex lusoribus vix quispiam se accusat de ludendi inveterata consuetudine, nec de tempore, ac de re familiari, quae prodigit; at si Confessarius illam sciat, eos mone- re debet, ut ipsi se accusent, proponantque firmiter moderationem, & nisi respiciant, beneficium absolutionis illis suspendat. Homines enim ludo dediti frequenter dolis, fraudibus, juramentis, blasphemis, aliisque flagitiis implicantur. Unde Aristoteles eos latronibus comparat, & in eis proprie verum est, quod *male partum, male disperit*.

ПУНКТУМ VIII.

De sponsonem, & lotto.

216. Inq. 1. Quid sit sponso? R. Est contractus, in quo duo, vel plures de veritate rei contendentes, sibi vicissim

aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus. Contractus hic non est illicitus, si aequalitas servetur; non enim opponitur justitiae, cum sit omnino spontaneus, neque caritati, cum nullus cogatur spondere. Debet autem veritas, seu eventus rei utrumque esse incertus; ideo si unus est omnino certus de veritate, spondere nequit, quantumvis alter contendat, aut cedat *evidentiam*, quia, supposita rei certa notitia ex parte unius, non servatur aequalitas, & alius, ut protervus, relinquendus est. Unde ob eandem inaequalitatem injustam reputo illam sponsonem, qua dum plures ad aliquam praebendam concurrunt, cum unoquoque illorum quis spondet, quod eam non assequatur: quia cum unus solus assequi possit, certus est, quod perdendo cum uno, caeteros vincet.

217. Inq. 2. An sint aliqua sponsones vetitae? R. Affirmative: quia sponsones, quae versantur super certamina corporis, causa odii suscepta; quae fiunt circa libidines, & aliae similes prohibentur omni jure. Item Pius V. prohibuit sponsones circa electionem Papae tempore Sedis Vacantis: quam prohibitionem extendit Gregor. XIV. etiam ad sponsones supra electiones Cardinalium quocumque tempore factas sub excommunicatione latae sententiae, easque irritas declarat in Bulla incipiente: *Cogit nos*. Jure pariter naturali exprobantur super actiones illicitas, ut qui plus manducaverit, biberit. Si spondeas cum alio te numquam tale peccatum commissurum, sponso licita est, quia te retrahit a peccato: econtra vero omnino illicita, si tu affirmares te illud commissurum, ut ex se patet. Sponso de peccato alterius, ut quod redibit ad libidinem, est periculosa ex parte affirmantis, ideoque inter illicitas recensenda.

218. Inq. 2. An contractus nuncupatus *Lotto* sit licitus? R. affirmat. servatis quinque conditionibus. 1. Ut omni fraude careat, nec ita res disponantur, ut unus potius sortem obtineat. 2. Ut taxentur contributiones cum proportione ad praemium, tam quoad numerum contribuentium, quam quoad summam contribuentiam. 3. Ut stipendium ministrorum respondeat eorum labori, & non amplius.

plius. 4. Ut publicentur leges hujus sortis, antequam ineat, & si quid extrahendum est ad pias causas, ut omnia consciscus videat quisque, an velit contrahere. 5. Ut hæc sortes instituantur publica autoritate, quæ taxet quid dandum in ingressu, & quid postea recipiendum in extractione, quæ etiam autoritate publica fieri debet. Verum alii tenent, quod etiam sortes hujusmodi institutæ a privatis personis licitæ sunt, dummodo omnes fraudes vitentur, eaque jomaja, quæ justitia exigit, observentur, sed quia hoc vix possibile moraliter censeo, illis minime subscribo: vix enim, autoritate publica etiam interveniente, omnes vitantur fraudes.

PUNCTUM IX.

De promissione.

219. Inq. 1. Quid sit promissio? R. quod promissio homini facta est *datio fidei libera*, & *spontanea de re licita*. Dicitur *datio fidei*, quia non sufficit propositum faciendi, sed requiritur se obligare ex fidelitate. Additur *libera*, quia promissio vi, aut fraude extorta nulla est. *Spontanea*, quia non est onerosa, sed gratuita. *De re licita*, quia promissio de re illicita nullam obligationem inducere valet, cum ad illicitum nemo teneatur. Tripliciter considerari potest promissio. Alia est acceptata a promissario, & hæc est promissio perfecta, & consummata. Alia est nondum acceptata, & appellatur *pollicitatio*. Alia fit sub certa verborum forma, uno interrogante, & altero respondente, ut si illi dicat, *dabis mihi vestem*, & hic respondeat, *dabo*. Hæc formula vocatur *stipulatio*. Quæ quidem in omni contractu adhiberi potest, ut fidejussio stipulativa, aut donatio stipulativa.

220. Nulla promissio, nisi votum includat, aut jurata sit, obligat ante ejus acceptationem tacitam, vel expressam, quia ut res transeat in alterius dominium, requiritur ejus consensus tacitus, aut expressus; atque idem est dicendum de donatione. Si promissarius præsens est, debet acceptare per se, vel per alium promissionem: Si autem taceat, accipitur

pro consensu, quia in favorabilibus, qui tacet consentire videtur. Nisi in aliquo casu raro, qui a communi regula exorbitaret. Si promissarius, ut donatarius absens sit, debet moneri per litteras, aut internuntios. Si missa epistola revocetur donatio ante acceptationem, valet revocatio, ut patet in matrimonio per procuratorem, ubi, si revocetur consensus ante celebrationem, nullum est matrimonium. Si autem interquatus differret, traderetque rem donatario, secus esset dicendum, si dicto internuntio revocatio ante traditionem non innotesceret, quia traditione acquisivit jus in re, vel saltem ad rem donatarius. Promissio firmata juramento non revocandi obligat ante acceptationem, quia nudæ promissioni additur obligatio religionis, qua firmatur, & servari debet, quoties absque peccato possit. Si promissarius ante acceptationem moriatur, expirat promissio, nec potest eam hæres acceptare, quia jus acceptandi non transit ad heredem, cum sit personale. Contra, si promissor, aut donator ante acceptationem decidat, valet promissio, aut donatarius acceptare promissionem, aut donationem, quia gratia facta non expirat morte concedentis. Nulla pariter promissio obligat rebus notabiliter mutatis, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. nec quando est de re illicita perpetranda, aut parat aditum peccandi. Promissio denique beneficii nondum vacantis irrita est, ex Concil. Later. 3. cap. 8.

221. Inq. 2. An promissio acceptata obliget graviter ex justitia, aut tantum leviter ex fidelitate? R. quod, si maneat intra lineam nudæ promissionis, solum obligat ex natura sua leviter ex fidelitate, quia obligatio fidelitatis tantum est ex quadam honestate. *Dicendum, quod secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. sed obligatio fidelitatis, ac honestatis ex natura sua est levis, ergo. & obligatio promissionis. Alias, obligatio, seu debitum fidelitatis non distingueretur ab obligatione, aut debito ex justitia, quod nemo admittit.

222. Objic. fidelitas in promissis est valde necessaria ad pacem, & convictum

hominum, & fundamentum omnium contractuum, unde graviter conaqueruntur homines de perfidia eorum, qui promissiones non adimplent, ergo graviter obligant. R. de veritate idem valet dici, quod de fidelitate adducitur in antecedenti, & nihilominus esto veracitas sit fundamentum omnium contractuum, & sit necessaria ad pacem, & convictum hominum, non sequitur quod in sua linea obliget graviter, aut quod mendacium officiosum sit grave peccatum. Ita accidit infidelitate, & perfidia.

223. Si autem violatio promissionis sit graviter noxia promissario, erit peccatum grave caritati, aut justitiæ oppositum: ut si medicus promittat egrotanti mederi, & non adimpleat, ex quo infirmus notabiliter lædatur; vel si promittens servare secretum magni momenti, illud revelet, & in similibus; quia in his casibus obligat promissio, non tantum ex fidelitate, sed etiam ex caritate, aut justitia. Quæstio vero procedit non de promissione onerosa, jurata, aut alterius virtutis obligatione induta, sed de nudâ intra lineam fidelitatis inspecta.

PUNCTUM X.

De donatione.

224. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit donatio? R. quod donatio est *datio rei libera*, & *spontanea*. Dividitur in *realem*, & *verbalem*. Realis est, quando res traditur; verbalis, quando donatur absenti, & indiget acceptatione manifestata a donatario. Rursus donatio alia est *inter vivos*, quando nempe donator nullo respectu habito ad mortem vult donatarium rem possidere; & hæc est irrevocabilis, quibusdam casibus exceptis. Alia est *causa mortis*, qua non vult donator donatarium re gaudere, nisi ratione mortis. Præterea alia est donatio omnino *liberalis*, quæ nullum debitum, neque lapute acceptum, præsupponit; alia *antidotalis*, seu remuneratoria, quæ supponit debitum gratitudinis, ideoque deficit a donatione propriè sumpta. Tandem alia est *absoluta*, nempe sine ulla conditione; alia *conditionata*, quæ aliqua conditione afficitur. Advertendum tamen est, an

sit vera conditio, vel potius modus adjectus donationi.

225. Inq. 2. Qui donare valeant? R. Posse donare omnes illos, qui dominium, & liberam rei administrationem habent, nisi aliquo jure prohibeantur. Prohibentur autem donare jure cæci, muti, & simul surdi a nativitate, furiosi, amentes, ebrii, prodigi, impuberes, ecclesiastici res Ecclesie immobiles, vel mobiles, quæ servando servari possunt, impotentes ad solvenda debita, conjuges vicissim, religiosi sine licentia, patres filii dum sub eorum potestate degunt, visitandi prohibentur donare jure canonico Episcopis, & Visitoribus, milites concubinæ, & meretricibus, rei criminis læsæ majestatis, seu pœnæ capitalis, & hæretici de bonis confiscatis. Demum irritatur jure donatio inter vivos omnium bonorum, nisi juramento firmetur, vel nisi causæ piæ; vel se, aut causa pietatis, Deo perfectius mancipandi. Verum licet omnes præfati, & forte alii inhibeantur facere donationem omnino liberalem, non tamen antidotalem, seu remuneratoriam, quæ potius est quadam solutio, quam donatio. Accipiens rem a donante, qui impotens fit ad solvenda debita, tenetur restituere, quia cooperatur actioni injustæ damnificativæ creditorum. Invalida est donatio 500. solidorum facta absque insinuatione. *Insinuatio* consistit in eo, quod donator coram Judice compareat, ac ibi declaret suam donandi voluntatem.

226. Inq. 3. Quas ob causas revocari possit donatio inter vivos? R. tres regulariter assignari. Prima est ingratitude donatarii. Tunc autem donatarius dicitur ingratus. 1. si atroces injurias donatori præsentem, vel absentem intulerit. 2. Si violentas manus in eumenderit. 3. Si conditiones in donatione positas non impleverit. 4. Si jacturam notabilem ejus bonis attulerit. 5. Si vitæ ejusdem insidias paraverit. 6. Si ipsum pressum inopia non auerit. 7. Si cum ejus uxore adulterarit, aut ejus filiam corrupserit. Debent autem hæc crimina, aut similia coram Judice probari, nec ante ejus sententiam revocanda est donatio, nec donatarius ingratus tenetur ante eam restituere rem donatam.

227. Secunda causa revocandi donationem est proles de novo suscepta. Nam præsuntur donationem fecisse sub conditione: nisi donatori nascantur filii. Imo in hoc casu esto, facta revocatione, filii decederent, non resurgit donatio, quia actio semel extincta non reviviscit. Tertia causa est, si sit inofficiosa, hoc est, contra pietatem paternam erga filios, ut si lædatur legitimas filii debitas. Si vero sit inofficiosa tantum in re, rescinditur solum quoad illam portionem, qua filii defraudantur. Si autem re, & consilio, hoc est, animo filii nocendi, penitus rescinditur. Nisi facta fuisset aliis filii, descendentibus, Ecclesiæ, aut causis piis; tunc enim tantum revocatur in illa portio legitimæ filiorum noxia, & solum post mortem parentum, quia tunc, & non antea debetur filii legitima.

228. Donatio causa mortis est; per quam, rem quam dono, malo me habere, quam ille cui dono, sed magis illum, quam heredem meum. Donatio hæc revocabilis est sicut ultima voluntas, & fere ei, ac legato comparatur. Unde tot testes requiruntur ad illam, ac ad faciendum codicillum. Potest autem dupliciter fieri, vel absolute, ut si, nullo mortis periculo instante, velis rem post mortem donari Petro, prout contingit in testamento, aut codicillo: vel conditionate, ut si, morte instante, donec rem casu, quo mors sequatur. Et tunc, morte non secuta, donatio evanescit. Recordare donator moniti *Ecclesiast. 33.* ne donec filii, aut alii, quod postea te pœniteat donasse, melius est enim, ait, ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum. O quam verum!

CAPUT V.

De testamentis.

Cum testamentum inter contractus gratuitos recensetur, sitque ultima dispositio humanæ voluntatis, opportune in hoc ultimo capite de contractibus sermonem de testamentis adjungimus. Sed quia potius ad Jurisprudentiæ Professores, quam ad Theologos expectat, solum quæ pro aliquo Confessariorum instructione necessaria videntur, prælibabimus.

РУКСТУМ I.

Notio testamenti, & codicilli.

229. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit testamentum? R. est ultima dispositio voluntatis humanæ solemniter facta, de eo quod quis vult fieri post mortem cum directa heredis institutione. Per ultimas particulas recernitur testamentum a reliquis ultimis institutio, nec codicillo, nec alteri dispositioni per se competit, nisi soli testamento. Dicitur solemniter facta, quia aliter est invalida quoad causas profanas. Validum esse testamentum sine heredis institutione quantum ad legata jure Hispano testantur plures; ideo præcipue circa testamentum leges cujusque Regni consulendæ sunt.

230. Dividitur primo testamentum in solemne, & privilegiatum. Solemne requirit formam a jure præscriptam, ac de eo agimus modo. Duplex est testamentum solemne. Aliud clausum, seu scriptum; aliud apertum, seu nuncupativum. Hoc non requirit scripturam tamquam formam, sicut illud, quod tantum in scriptis condici valet. Igitur ad testamentum nuncupativum ex jure communi requiruntur septem testes, viri, puberes, liberi, vocati, & contestes, hoc est, quod omnes simul audiant voluntatem testatoris. Jure vero Castellæ requiruntur tres testes vicini loci cum tabellione. Si nequeat haberi tabellio, adsint quinque testes vicini. Ubi autem non reperiantur quinque testes vicini, nec tabellio, sufficiunt tres testes vicini. Verum, si testamentum disponatur coram sex testibus, licet non adsit tabellio, nec testes sint vicini, valet, dummodo habeat ceteras conditiones jure requisitas. Esto testamentum nuncupativum non exigit subscriptionem testatoris, aut testium, tutius est illam adhibere apponendo diem, mensem, annum, & locum, in quo conficitur. Insuper debent videre testes simul testatorem, ejusque voluntatem intelligere, ac vocem audire. Unde qui loquelam amisit, testari non valet, nisi seiat scribere.

231. A munere autem pro condendis testamento

testamentis excluduntur fœmina, surdi, cœci, furiosi, prodigi, infames, sub potestate testatoris existentes, pater hæredis, ipse hæres, & qui sunt sub ejus potestate. Admittuntur vero legatarius, ac viri ecclesiastici, & regulares cum licentia suorum Superiorum. Et licet Concina legatarium ab hoc munere excludat, voluntarie eum repellit.

232. Ad testamentum clausum requiritur jure communi, quod, scriptura confecta, adsint simul septem testes viri, puberes, liberi, & vocati, coram quibus testator declarat illam esse suam ultimam voluntatem, aut suum testamentum, quod, si possit, subscribere debet, sin autem, ab alio octavo teste subscribendum est. Deinde super testamentum omnes debent subscribere, ita ut, aliquo nesciente, alius pro eo subscribat, illudque proprio, vel alieno sigillo singuli sigillare debent. Jure Castellæ eadem fere solemnitas requiritur, addito tabellione, ita ut octo adsint subscriptiones, & insuper signum tabellionis. Hoc est, exiguntur subscriptiones testatoris, septem testium, & tabellionis signum. Testamentum clausum ab hærede scriptum invalidum est, quoad id, quod illius interest, nisi aliunde constet de mente testatoris.

233. Inq. 2. Quæ solemnitas requiritur ad testamentum privilegiatum? R. quod ad testamentum privilegiatum, seu liberum a juris solemnitatibus sufficit, ut certo constet de voluntate testatoris, quomodocumque manifestetur. Nam licet Alexander III. in cap. Relatum, de testamentis, postulet duos, aut tres testes vocatos; & dum commode possit, ita fieri debeat, id tamen non requiritur absolute extra regionem, seu ditionem Pontifici in temporalibus subjectam, quoties veritas aliunde certo haberi potest. Testamentum privilegiatum dicitur in primis illud, in quo hæres designatur causa pia, ut Ecclesia, hospitale, monasterium, pauperes, vel anima ipsius testatoris, aut quid simile ad bonum spirituale primario ordinatum. Eodem privilegio gaudent testamenta nuncupativa parentum inter liberos, atque etiam militum, dum sunt in castris, & omnium reperitur in obsidione, esto milites non sint. Hinc licet

cætera testamenta non valeant defectu solemnitatis, valida sunt quoad legata pia in eis relicta, Pontifice in dicto cap. Relatum revocante omnes leges, huic pietati non faventes. Cave autem, ne iudices testamentum pium, quo testator habens propinquos inopes, nihil eis relinquens, pinguem hæreditatem mandat Ecclesiæ, aut monasterio. Tale enim testamentum non pium, sed impium esset, & a Confessario testatori pro viribus dissuadendum.

234. Codicillus est quadam quasi pars, aut additio testamenti, ideoque dicitur codicillus, id est parvus codex respectu testamenti, ponitur enim ad supplendam, mutanda, revocanda, addenda, seu moderanda, quæ in testamento sunt relicta, vel ordinata. Nequit in illo institui directe hæres, quia jam supponitur institutus. Requirit fere eandem solemnitatem, ac testamentum juxta diversas cujusque Regni leges, quæ accurate sunt inspicienda. Solet in testamentis apponi clausula, ut ultima dispositio valeat eo modo, quo valere in jure potest, quæ inter alia operatur, quod si non valeat, ut testamentum ob aliquem defectum, valeat ut codicillus, si habeat, quidquid ad illum requiritur. Possunt fieri, ac dari duo, vel plures codicilli validi, nisi invicem adversentur; quod si unus alteri contradicat, ultimo standum est. Secus est de testamentis, quia per ultimum anteriora revocantur.

235. Ex triplici capite potest testamentum esse imperfectum. Primo ex defectu solemnitatis, & tunc juxta sententiam, quam ut probabiliorum sequimur ex alibi dictis, nullum parit effectum, nisi quoad pia legata. Secundo, quia inceptum non potuit finire; & tunc si volebat testator plures instituire hæredes, & primis designatis, reliquos nequivit exprimere, idem est dicendum, ac de præcedenti. Tertio, si factum sit ex errore, vi, aut fraude, quo in casu similiter est nullum, quoad ea respective, quæ ex tali defectu disposuit, quia maxime in contractu gratuito requiritur libertas immunis a coactione, dolo, fraude, aut errore; qui autem solis precibus, aut consilio, cum honesta tamen causa, testatorem adduceret, vel ut mutet testamentum, vel ut se, aut alios

alios amicos instituat hæredes, aut legatarios, nec peccat, nec restituere tenetur. Excipe religiosos, qui sub excommunicatione prohibentur retrahere testatores a legatis faciendis Ecclesiæ matri- ci, in *Clem. I. de privilegiis.*

PUNCTUM II.

De his, qui testari, ac hæredes institui possunt.

236. Inq. I. Qui sint habiles, aut inhabiles ad testandum? R. Omnes usus rationis compotes testari valent de bonis, quæ habent, vel habere sperant, nisi aliqua lege prohibeantur. Prohibentur autem per leges Episcopi testari de redditibus Ecclesiæ; clerici de bonis ecclesiasticis, licet ad causas pias eis permittatur ex consuetudine; religiosi, impuberes, amentes, delirantes, dum tales persistunt, servi, hæretici, & eorum fautores, ac receptatores; damnati ad mortem, insecutores, aut percussores Cardinalium, ac cooperatores in ejusmodi crimina; usurarii publici, donec satisficiant, aut præstent sufficientem cautionem. Omnes quorum bona fisco sunt adjudicata. Cæcus simul atque surdus a nativitate. Si ex morbo superveniente talis sit, ac scribere sciat, potest testari. Idem qui solum surdus, aut mutus est, etiam a nativitate, testare valet, si hic sciat scribere. Cæteri qui bonorum dominio, & libera administratione gaudent, de illis testari possunt.

Nota, in Hispania observandam esse legem 13. tit. 8. lib. 5. quæ ita se habet. Por quanto en estos Reynos hay costumbre muy antigua, que en los bienes que los clérigos de orden sacro dejaren al tiempo de su muerte, aunque sean adquiridos por razon de alguna Iglesia, ó Iglesias, ó beneficios, ó rentas eclesiasticas, se succeda en ellos *ex testamento, y ab intestato*, como los otros bienes, que los dichos clérigos tubieren patrimoniales, habidos por herencia, ó donacion, ó manda, mandamos, que se guarde la dicha costumbre.

237. Inq. 2. Qui institui hæredes non possint? R. Quod hæredes institui neque-

unt illi, quos sua culpa inhabiles esse ad testandum diximus. Quia cui sua culpa testari interdicitur, etiam hæres institui prohibetur. Præter memoratos autem prohibentur jure hæredes institui civitates inimicorum; communitates judæorum, etiam inter Christianos commorantes, ac illorum collegia. Insuper clerici vetantur instituire hæredes hæreticos, seu quoscumque infideles, etiam consanguineos. Quando dominus institui hæres non potest, neque ejus servus, quando sub ejus potestate manet. Si dominus servum hæredem instituat, aut tutorem filii sui constituat, libertatem ei donare censetur. Servus nequit institui hæres a domina pendente accusatione de adulterio cum ea perpetrato. Similiter privatur merito hæreditate, seu legato hæres, aut legatarius, qui occidit testatorem; aut si post factum legatum notabiliter ingratum, aut inimicum se prodat legatarius erga testatorem: vel si prohibuit testatori testamentum facere, aut factum revocare: vel accessit ad uxorem testatoris: vel si hujus curam non adhibuit, dum erat amens, seu mente captus: vel tandem, si hæres testatorem suæ institutionis accusavit, & non destitit a lite usque ad sententiæ prolationem. Consulantur leges municipales, quæ diversimode circa nullitatem testamentorum, & legatorum disponunt.

PUNCTUM III.

De hæredum diversitate.

238. Inq. I. Quotplex sit hæres? R. Quod alius est ab intestato, nempe cui devolvitur hæreditas ratione sanguinis, seu stirpis: alius ex testamento, qui nimirum a testatore instituitur: hic autem est sextuplex: nempe necessarius, voluntarius, universalis, particularis, suus, & non suus. Hæres necessarius est, qui a testatore præteriri nequit: si enim omitatur, nullum est testamentum. Hujusmodi sunt filii, ac cæteri descendentes juxta gradum proximiorum. In defectu descendentium sunt parentes, ac reliqui ascendentes. Fratres, aut alii collaterales non sunt hæredes necessarii. Hæredibus necessariis debetur portio legitima;

si

si sunt tres, aut quatuor *triens*, idest, tertia pars hæreditatis: si sunt plures, quatuor *semisse*, hoc est, media pars, filiis per capita, nepotibus per stirpes. In defectu descendentium portio legitima ascendentium semper est *triens*. Omnibus iis hæredibus debet relinquì sua legitima libera ab omni onere. Jure Castellæ succedunt præfati in omnibus bonis ascendentium, excepta quinta parte, de qua disponere valent, prout maluerint, & tertia, in qua meliorare possunt aliquem ex filiis. Ut si hæreditas valet quindecim, possunt disponere de tribus partibus tamquam de quinta; deinde ex duodecim remanentibus valent applicare uni filio quatuor tamquam tertia; ac tandem octo partes debent dividi æqualiter inter omnes filios.

239. Hæredes ab intestato illi sunt, quibus competit hæreditas, quando non fit testamentum, aut ex aliquo capite annullatur. Hoc autem ordine succedunt: primo enim succedunt filii per capita, nisi sint exhæredati ob causas infra recensendas. In horum defectu nepotes per stirpes, hoc est, omnes ex uno filio prout representant patrem suum, ideo una portio debetur illis. In defectu filiorum, ac nepotum succedunt pater, & mater defuncti: istis deficientibus, avus, & avia, quoad bona profectitia; ita ut quoad bona a patre profecta succedunt avi paterni, & quoad bona profecta a matre avi materni. In defectu ascendentium, & descendentium succedunt fratres, & sorores utrinque conjuncti, idest, ex utroque parente. In horum defectu filii fratrum, hoc est, nepotes ex utroque parente. His deficientibus, veniunt fratres, & sorores ex uno parente, seu semifratres per capita, saltem in Castellæ, eodem modo, quod ad profectitia bona, quod de avis dictum est. In defectu vero omnium prædictorum succedunt propinquiiores collaterales per capita usque ad decimum gradum jure communi, & usque ad quartum jure Castellæ: quibus etiam deficientibus, succedit uxor, nisi præcesserit divortium. Ultimo loco in defectu omnium prædictorum succedit fiscus sæcularis defuncto laico, vel ecclesiasticus clerico.

240. Hæres voluntarius, seu non ne-

Tom. I.

cessarius est ille, quem testator non habens hæredes necessarios ex suo placito instituit. Pater autem, vel mater nequit instituire hæredem filium spurium, neque potest illi præter alimenta, quidquam nec per se, nec per fideicommissarium relinquere. Naturalibus vero filiis in defectu legitimorum conceditur successio juxta voluntatem testatoris. Si adsint filii legitimi solum, valet pater naturalibus relinquere *unciam unam*, idest duodecimam partem bonorum. Verum respectu bonorum matris succedunt filii naturales æque, ac legitimi, sive ex testamento, sive ab intestato.

241. Pro quorum intelligentia nota differentiam filiorum. Alii enim dicuntur *legitimi*, quia ex legitimo matrimonio sunt habiti, vel per subsequens legitimi. Alii appellantur *naturales*, & sunt illi, qui nati, vel geniti sunt a parentibus solutis ab impedimento dirimente. Alii vocantur *spurii*, & tales sunt, qui a parentibus aliquo impedimento dirimente legatis gignantur. Ex quibus aliqui dicuntur *ex damnato concubitu*, nempe qui nascuntur ex Christiana, & Judæo, aut Mahometano, vel ex copula, per quam damnatur mater poena mortis.

242. Hæres universalis est, qui succedit in omnibus bonis, ac juribus defuncti, & vocatur etiam *ex asse*: ideo similiter subjacet omnibus debitis realibus. Hæres particularis est, qui solum succedit in aliqua parte, puta *sexante, quadrante, triente, semisse*; hoc est in sexta, quarta, tertia, aut media parte bonorum; ac juxta hæreditatis portionem ad onera, & debita realia defuncti adstringitur. Hæres *suus* dicitur proximis descendens sub potestate defuncti existens tempore mortis, etiam posthumus. Jure autem Castellæ requiritur, quod sit baptizatus, ac vivat saltem per 24. horas; alias abortivus reputatur, & nec ipse, nec ipsi mater succedit. Hæres tandem *non suus* dicitur quicumque alius, sive ex testamento, sive ab intestato, qui hæreditatis dominium non acquirit, aut equam illam adeat, aut illam se acceptare declaret, quod facere debet intra spatium unius anni. Eo autem interim obeunte, possunt ejus hæredes illam adire, quousque annus compleatur. Debet

Mmmmm

hz.

hæres intra triginta dies incipere inventarium, & illud intra nonaginta concludere: alias cogitur in foro externo solvere debita, & legata testatoris, etiam si hæreditatem excedant. Debeat pariter quantocius solvere debita, aut legata, præcipue quoad Missas celebrandas; quia anpus ad hoc per leges designatus est permissione fori externi, quæ pro interno non excusat.

343. Inq. 2. Quot, & quæ sint causæ, ob quas pater potest exheredare filios legitimos? R. Esse quatuordecim sequentes. 1. Manus in patrem graviter iniicere. 2. Cum maleficis se immiscere. 3. Patrem accusare extra crimina hæresis, prodicionis patriæ, aut conjurationis in Principem. 4. Contumelias illum afficere. 5. Ejus vitæ insidiari. 6. Patris uxorem violare. 7. Illum deferre in iudicium cum gravi ipsius detrimento. 8. Illum in carceratum non adjuvare, a quo delicto excipitur filia. 9. Prohibere ipsum testari, aut revocare testamentum. 10. Histronum artem exercere, patre illum non proficiente. 11. Filiam luxuriose vivere, patre dotem congruo tempore illi offerente. 12. Curam parentis amentis negligere. 13. Illum captivum nolle redimere. 14. Crimen hæresis, patre catholico existente. Ob has causas possunt parentes privare filios portione legitima, non tamen alimentis ad vitam necessariis. Dantur etiam octo causæ fere his similes, ob quas valent filii exheredare parentes, quæ videri possunt apud aucthores.

Nota. In Hispania præ oculis habetur Sanc. Pragm. Caroli III. Matrit. publicata anno 1776. Ubi disponitur, quid conveniens iudicatur circa hereditatem filiorum, qui matrimonia contrahunt sine consensu parentum, &c.

PUNCTUM IV.

De substitutionibus.

244. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit substitutio? R. Quod substitutio est unius, vel plurium in alterius, vel aliorum locum in ultima voluntate tacita vocatio. Dividitur in vulgarem, pupillarem, exemplarem, fideicommissariam, reciprocam, breviloquam, & compendiosam.

Substitutio vulgaris est velut secunda institutio hæredis, ut si testator dicat: *instituto heredem meum Titium; at si ille moriatur, aut noluerit, sit hæres meus Cajus.* Ad hæreditate a primo, cessat institutio. Substitutio pupillaris datur, quando pater testatur nomine filii impuberis, ut si dicat: *Instituto heredem Petrum meum filium; & si ipse in ætate pupillari moriatur, sit hæres ejus Paulus.* Ubi adest quasi duplex testamentum; aliud Patris, aliud filii pupilli sub patria potestate existentis. Non potest mater talem conficere substitutionem, quia foemina non habet patriam potestatem. Filio mortuo in ætate pupillari non succedit mater, sed substitutus designatus a patre, qui non tenetur uxorem substituere heredem. Cessat hæc substitutio, quando filius exit ab ætate pupillari, vel a patriâ potestate, vel per mortem substituti his anteriorem.

245. Substitutio exemplaris datur, quando pater testatur pro filio amente, phrenetico, seu mente capto, & dicitur exemplaris, quia fit ad exemplum pupillaris, esto ab illa differat in eo, quod mater etiam possit conficere substitutionem hæc, non illam. Similiter in illa, non in ista, potest institui hæres extraneus, ac mater ab hæreditate excludi. Finitur hæc substitutio, quando filius amens fit mentis compos. Si autem, alio testamento a se non confecto, ad insaniam reddat, reviviscit substitutio prima.

246. Substitutio fideicommissoria adest, quando testator gravat heredem commissarium, ut alteri reddat totam, vel partem hæreditatis. Hæc substitutio fieri valet in codicillo, quia non est directæ, sed indirectæ hæredis institutio, ita ut medio commissario perveniat hæreditas ad fideicommissarium; ideo non incipit substitutio, nisi acceptata hæreditate a commissario. Hæres gravatus, ac spontaneus potest sibi detrahere quartam hæreditatis partem concessam a Senatu Consulto Trebelliano, unde vocatur *quarta Trebellianica*, sancita, ut hæres gravatus hæreditatem acceptaret, ac ne hæredis nomen vanum foret. Quando hæres est necessarius, potest prius detrahere legitimam, & subinde quartam Trebellianicam. Nequit pater filium spurium

instituere fideicommissarium gravando commissarium, ut ei hæreditatem, aut illius partem conferat, quia hoc esset in fraudem legum, quibus pater inhibetur quidquam illi, præter alimenta, relinquere. Ideo, si casus contingat, hæredibus ab intestato hæreditas est tradenda. Circa hæc omnia videantur leges municipales. Convenit penes omnes non posse deduci quartam Trebellianicam ex hereditate ad causas pias, nisi etiam hæres causa pia sit.

PUNCTUM V.

De revocatione testamenti, & de commissario.

247. Testamentum, & quamlibet ultimam dispositionem esse ex sua natura revocabilem asserunt omnes. Unde per secundum testamentum solemniter factum revocatur primum. Nisi in priori apposite sint clausulæ revocatorie posteriores, ut contingere valet in testamento occultis uxorum, vel aliorum timentium, ne compellantur testari contra propriam voluntatem. Tunc enim debet in secundo fieri peculiariter mentio clausulæ derogatorie anterioris. Atque etiam revocatur primum quibusvis clausulis munitum per secundum juratum, nisi prius pariter juramento sit firmatum.

248. Inq. 1. An qui juravit non revocaturum testamentum, possit illud revocare? R. non posse licite: quia quoties juramentum est de re licita, servari debet. Nec valet dicere testamentum esse revocabile jure naturæ: imo juramentum non illud revocandi esse contra bonos mores. Respondetur enim testamentum esse revocabile de jure naturæ permissivo, non præceptivo. Natura quippe non præcipit, sed permittit testamentum posse revocari, vel non revocari. Juramentum autem non revocandi testamentum ad summum est contra bonos mores civiles, non contra bonos mores naturales. Utique non debet fieri tale juramentum, semel tamen factum, observandum est. Unde esto revocatio sit valida, hæreditas debet tradi primo hæredi, nisi ex justa causa obineatur relaxatio juramenti. Pariter si primumpotest & secundum

testamentum sit juratum, primum est servandum.

249. Inq. 2. An si vir, & uxor, aut alii duo simul condant testamentum, se invicem hæreses instituentes cum quibusdam legatis, sive oneribus, altero mortuo, possit superstes illud quoad sua bona revocare? R. affirm. quia licet ibi una tantum scriptura materialis sit, duo tamen sunt testamenta: de natura autem testamenti est, quod revocari possit, quoadm testator vivit. Nec ignorantia unius, aut utriusque efficit, ut testamentum irrevocabile maneat. Si vero ordinarent, ut uno mortuo, alter esset usufructuarius, & hoc experirent, ut conditionem non revocandi testamentum, tunc si revocare velit, usufructum percipere non potest, quia conditio honesta servari debet.

250. Inq. 3. An si quis ex placito alterius testatus est de illius bonis, eo mortuo, possit dominus illud revocare? R. neg. quia tunc casus huiusmodi tantum est testamentum nomine suo ab illo factum; igitur, mortuo testatore, ita firmatur, ut nec dominus ipsum valet revocare. Sæcui si conditum fuisset nomine domini, tunc enim iose dominus, non commissarius esset testator.

251. Commissarius est ille, quem quis elegit, ut suo nomine testamentum faciat, sive quia oppressus infirmitate, sive alia causa ei potestatem testandi committat. Quilibet autem jure non prohibitus valet designari commissarius, sive vir, sive foemina, ac etiam religiosus de sui Prælati licentia. Nequit commissarius heredem instituere, aliquem mediociorare, aut exheredare, nisi ex testatoris peculiaris facultate. Si autem hic cedat absque hæredis institutione, solum potest ejus debita solvere, quartam partem, & etiam quintam pro suffragio animæ defuncti applicare, ac reliqua bona hæredibus ab intestato tradere; Uxori autem defuncti debet commissarius dare ea, quæ de jure ei debentur, nempe arras, & dona sponsalitia, & medietatem bonorum (vulgo ganantiales), ac lectum honestum personæ, & statum congruum. Alia videtur apud AA. fusiori stylo vacantes.

PUNCTUM VI.

De testamentariis, seu executoribus testamenti.

252. Inq. 1. Quotuplex sit executor testamenti? R. Alius est *legitimus*, cui ex jure competit officium, ut hæres, sive ab intestato, sive institutus in testamento, & in aliorum defectu Episcopus, vel alter Ordinarius loci Prælati. Alius est a testatore designatus, & vocatur *testamentarius*. Alius est *universalis* electus in testamento absque hæredis institutione, & hic potest bona defuncti vendere, quia consideratur velut hæres, debetque omnia debita solvere, ac reliqua distribuere. Alius est *particularis*, qui nequit bona defuncti vendere, sed dispositionem testatoris executioni mandare. Alius est a Juce, seu Magistratu deputatus, & dicitur *Dativus*. Potest eligi in testamentariis quilibet, sive clericus, sive laicus, vel ipse hæres solus, sive aliis adjunctis, vel foemina post decem, & septem annos expletos, vel etiam religiosi, exceptis minoribus, de licentia suorum Prælatorum: qui hanc licentiam, inquit hic Concina, si prudentes fuerint, fere semper negabunt. Ego suam moderans propositionem, sic proferendam arbitror: qui hanc licentiam, si prudentes fuerint, prudenter concedent. Multum enim consultitur fidelitati executionis testamenti, ac solatio testatoris assignatio docti, gravisque religiosi, de quo, eo ipso quod terrena despexit, & in sortem domini vocatus est, nullus dubitat munus suum fidelius obiturum. Ob quam rationem plissimus Legislator Hispanus consultit, ut tale munus viris religiosi committatur *Leg. 2. tit. 10. p. 6.*

253. Religiosi ipsi curent ab his oneribus se subtrahere. Si autem quarantur, & a testatore designantur, concessio, aut denegatio licentiæ Prælatorum prudentiæ relinquatur. Apud nos solus Generalis potest hanc licentiam concedere. Si autem aliquis nostrum cum sola licentia Prælati immediati tale munus acceptaret, non peccaret graviter, quia solum ageret contra ordinis constitutionem, non contra jus commune, quod tantum requirit li-

centiam Prælati immediati. Imo neque contra constitutionem efficeret, qui sub conditione: si Generalis consentiat, hujusmodi officium acceptaret ex presump-ta illius licentia, dum adsunt circumstan-tiæ honestandi præsumptionem.

254. Inq. 2. Que sit obligatio executorum testamenti? R. esse legata solve-re, ac cætera in testamento disposita di-ligenter executioni mandare: præcipue quoad causas pias, & Missarum celebra-tionem, quæ gravissime obligat ad sui adimplerionem, ne anima defuncti defectu suffragiorum acerbissime torqueatur. Igitur tam hæredes, quam testamentarii Sacerdotibus bene moratis, ac credito dignis Missas quantocius committere, ac solvere debent, nec plures dare aliquibus in particulari, qui aliis obligationibus impediti, nequeunt cito satisfacere. Sacerdos autem Missas acceptans debet eas brevi tempore applicare. Nec excu-satur, quia sibi non solvitur stipendium, si enim acceptavit ad creditum, obliga-tionem celebrandi in se transtulit; igitur tenetur sub gravi ad eas quantocius celebrandum. Similiter debent omni cura solvere debita defuncti; nam licet per negligentiam hæredum, aut aliorum circa debita solvenda non detineatur anima in purgatorio, potest detineri, & multo-ties detinetur ob propriam negligentiam, quia forte quod ipse facere potuit, aliis faciendum reliquit.

255. Unde Confessarius circa septimum Decalogi præceptum querat a poenitentibus provectæ ætatis, an habeant, aut ali-quando habuerint munus, seu curam ali-quod testamentum exequendi; & si eos reperiat habere, vel habuisse, & suo muneris non satisfecisse, absolutionem suspendat, donec pro viribus satisfaciatur. Si autem pro presenti non valeant, fir-missime saltem proponant quantocius satisfacere, cum valuerint. Hæredes enim postquam hæreditatem capiunt, defuncto-rum parum recordantur, ac si ipsi nunquam in aliam regionem essent migraturi. Proh dolor!

256. Nemo potest absolute cogi ad munus testamentarii acceptandum; post ac-ceptionem vero cogi potest ad illud di-ligenter exequendum. Sed testamentario nolente accipere, devolvitur officium ad

Epis-

Episcopum, qui valet compellere, quem voluerit, ut illud accipiet. Si testator aliquod legatum reliquit testamentario, te-netur ipse, vel acceptare officium, vel legatum dimittere; censetur enim cum illo onere relictum fuisse. Si officium ac-ceptet, potest propria autoritate lega-tum sibi relictum sumere. Non tamen po-test per se, vel per alium de bonis de-functi aliquid emere, quia hoc ipsi pro-hibetur a jure. Quando in testamento con-feritur ei facultas aliquas elemosinas in pauperes distribuendi, nequit eas uni soli tribuere, sed inter plures eas pruden-ter dividere debet. Si ipse vere pauper sit, potest sibi etiam congruam partem applicare: Cum aliquis distributor ponitur elemosynarum, potest, & ipse sibi accipere, si indigeat, eo tenore, quo, & aliis ministrat, inquit D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 9. ad 3.

PUNCTUM VII.

De legatis.

257. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit lega-tum? R. quod legatum est quedam do-natio, quam testator præstandam relin-quit ab hærede, de eo, quod foret hæ-redis. Differt potissimum a donatione cau-sa mortis, quia hæc immediate a testa-tore, illa vero medio hærede præstatur. Legatum dividitur in *purum*, quod nempe absque ulla restrictione, aut condi-tione relinquatur; *in diem*, puta, quan-do assignatur dies, seu tempus, quo est solvendum; & *in conditionatum*, quod sub aliquo onere, seu conditione reddendum est. Durat legatum pro defunctis non solum per decem annos, sed multo amplius juxta placitum testatoris, ut patet ex propositione 43. damnata ab Alexandro VII.

258. Jure communi nulla legata ad causas profanas valent, dum hæres non acceptavit hæreditatem, jure vero Cas-tellæ valida sunt. Legata pura statim ac testator obiit, & legatarius illa accepta-vit, eidem debentur; ac ejus jus transit ad hæredes. Secus si legatarius decedat ante testatorem, aut ante acceptionem; vel ante tempus, seu conditionem, quan-do legatum est conditionatum: tunc e-

Tom. I.

nim evanescit legatum. Fructus ex lega-to percepti ante mortem testatoris per-tinent ad hæredem; fructus vero pen-dentes tempore mortis testatoris, ut fruc-tus fundi, vineæ, aut olivetorum ad lega-tarium attinent. Legato principali cense-tur legatum accessorium; unde legato vi-ridario, aut fundo, intelliguntur legata ornamenta, & plantæ eis accessoria. Lega-to usufructu alicujus agri, censentur legata instrumenta ad ejus culturam de-putata. Quando testator jubet dari Petro, aut alteri aliquas res sub distinctione, pu-ta vestes, aut arma, vel quædam in spe-cie determinata, & non in individuo, ut aliqua ex suis vestibus, electio est hæ-redis, quia in alternativa inspicitur il-lud, quod est minus in obligatione. De-cet tamen erga causas pias, ut non in-fimum, sed saltem medioere tribuatur. Verum est, quod si testator habeat duos calices aureum, & argenteum, & dicat se velle, ut tradatur Ecclesiæ unus ex suis calicibus, sufficit tradi argenteum.

259. Legatarius, inscio hærede, ne-quit legatum accipere propria authorita-te, sed ab hærede, aut saltem cum ejus expresso, aut tacito consensu sub po-na amittendi legatum. Legatum ad cau-sas pias, si testator designet hunc pau-perem, vel illum locum pium, mortuo paupere, aut loco destructo, adhuc im-pleri debet, nisi constaret relictum esse pauperi, quia amicus, vel consanguineus; alias, cum subsistat causa finalis legati, hoc subsistere debet. In dubio sol-vendum est; quia præsumitur reliquisse ut opus pium. Si autem heres sit in mo-ra solvendi dicto pauperi, & interim mo-riatur, tenetur solvere ejus hæredibus, quia jam pauper habebat jus ad legatum, sive ad opus pium, & in sui favorem fuit relictum.

260. Circa legata conditionata obser-va, quod si conditio sit impossibilis, si-ve de facto, quia impleri nequit, si-ve de jure, quia repugnat juri naturali, di-vino, aut humano, habetur pro non ad-jecta, & legatum, ut purum subsistit. Legatum relictum viro sub conditione nubendi filix testatoris, aut alteri puellæ determinatæ validum est, quia non im-pedit matrimonium, sed personam deter-minat. Unde amittitur legatum; nisi adim-

Nanna

pleat

pleat conditionem saltem ex sua parte. Si enim puella designata nolit, aut moriatur, vel non decet legatarium, non amittit legatum; quia non ex sua parte, sed ex alia deficit conditio. Legatum sub conditione nunquam nubendi validum est, & conditio rejicitur, exceptis viduis, quæ, si ad secundas nuptias transferint, amittunt legatum. Mortuo autem testatore, non est tradendum legatum viduis, nisi præsent cautionem, quam vocant *Mutianam*, hoc est, de restituendo legato, aut hereditate, si iterum nuperit. Idem dicunt AA. de viris. Si legatum relinquatur sub conditione, *ut honeste, & caste vivant*, non amittitur legatum propter matrimonium contractum, quia matrimonium non impedit honestam vitam ducere. Idem est, si dumtaxat semel, aut bis habuit copulam, amplexus, aut tactus impudicos, quia non dicitur inhoneste vivere, quæ semel, aut iterum actum impudicum secreto admittit.

261. Inq. 2. An legatum relictum ad nubendas virgines, vel orphanas dari possit ei, quæ vult ingredi religionem? R. quod si determinata personæ, puta Bertæ relictum fuerit, ei tradendum est, licet, recusato matrimonio, religionem amplecti velit: quia sic est dispositum in jure, & sic debet præsumi de testatoris voluntate. Si autem legatum sit generaliter ad nubendas puellas, & concurrant, quæ nubere velint cum aliis, quæ religionem ingredi intendunt, illæ sunt præferendæ: quia sic ad litteram, ut debet, servatur dispositio testatoris, qui vult succurrere puellis, quarum honestas periclitatur inter laqueos veneris, & alias non vocantur a Deo ad religionem. Si vero non adsint puellæ nubere volentes, adsint autem, quæ religionem profiteri velint, & dote careant, poterit istis tradi legatum: quia ex principaliter deputato ad causas pias, deficiente una, substitui debet alia, ac sic adimpletur voluntas testatoris meliori modo, quo potest.

ПУХТУМ VIII.

Alia dubia circa legata.

261. Inq. 1. An legatum relictum pro

naturalibus alicujus loci dari possit alicui natis? R. vel habent animum ibi perpetuo commorandi, vel non? Si hoc secundum, nullatenus quit illis dari; esset enim contra voluntatem testatoris aperte agere. Si primum, potest illis dari, sicut naturalibus, quia per talem verum animum acquirunt domicilium, & tamquam naturales haberi debent. Legatum designatum ad nubendas orphanas nequit tradi puellis habentibus parentes, esto impares, aut inutiles ad eas dotandas, si adsint vere orphanæ pauperes, quia istis, non illis, relictum est legatum. In defectu tamen istarum illis tribui valet propter rationem supra in fine puncti præcedentis expositam. Idem est dicendum de legato ad puellas nubendas, quibus adstantibus, nequit tradi viduis ad secundas nuptias contrahendas. Idem teneas de legato pro nubendis indefinitè puellis, quod tradi nequit jam nuptis sine dote, aut cum exigua: quia voluntas testatoris fuit providere de matrimonio puellis extra illud periclitantibus. Excipe, si puella contraxisset sub spe, & promissione legati postea sibi tradendi; aut quando legato ad dotandas feminas in communi; tunc enim tradi posset etiam nuptis absque, vel cum exigua dote.

263. Inq. 2. An legatum pro nubendis virginibus tradi queat puellis corruptis? R. quod si corruptio publica fuerit, minime illis tradi quit. Si secreta sit, tradendum est legatum ei, quæ pro virgine habetur. Nullo autem modo potest hæc urgere, ut, relictis vere virginibus, sibi legatum adjudicaret, licet hoc eis concedatur in defectu illarum. Prudentia utendum est, ne ex omissione diligentis, aliquid contra ejus famam suspicetur.

264. Inq. 3. Quis ordo servandus sit in legatis solvendis? R. quod si bona defuncti pro omnibus non sufficiant, & sint aliqui legatarii privilegiati, isti cæteris sunt præferendi. Si omnes æquali jure potiuntur, omnibus pro rata, prout recta ratio postulat, est solvendum.

265. Inq. 4. Quis possit testamentis, aut legatis derogare? R. Quod dum mens testatoris dubia fuerit, quilibet doctus, ac prudens interpretari eam valet. Unde legatum relictum pro Ecclesiæ fabrica, si hæc necessaria non sit, in ornamentis ejus-

ejusdem expendi valet, & sic de reliquis: inspiciendo semper verba testamenti, & testatoris intentionem, quæ anima, & spiritus testamenti est.

266. Legatum dupliciter commutari potest. Primo, quando impleri non valet. Secundo, quando, licet possit impleri, melius tamen aliquid aliud judicatur. In primo casu legatum prophanium fit caducum; pium vero convertendum est auctoritate Episcopi, accedente consensu hæredis, & legatarii, si ob id graventur, in alium usum similem, quem testator intendebat, ut colligitur ex Trid. Sess. 22. cap. 6. de reform.

267. In secundo casu in primis auctoritate supremi Principis legatum prophanium ob publicam necessitatem in aliud legatum prophanium, vel pium commutari potest. Secundo, summus Pontifex legatum pium in aliud similiter pium ex justa causa commutare valet. Tertio, Episcopus ob causam, quam justam reputat, consentiente hærede, & loco pio, si ex eo graventur, legatum pium relictum ad certum usum, potest convertere in alium usum pium; quia talis censetur voluntas testatoris. Unde legatum pro certa Ecclesiæ necessitate potest quoad ejus superfluum converti ab Episcopo in aliam necessitatem.

268. Inq. 6. Quid sit, & quando ex legatis deduci possit quarta *Falcidia*? R. quod quarta *Falcidia* dicitur a suo auctore *Cajo Falcidio*, qui tempore Cæsaris Augusti condidit legem, qua indulsit hæredibus sibi deducere quartam partem ex bonis testatoris, ut sic eos ad acceptandam hereditatem alliceret, & ne solo nomine hæredes essent. Hæc *Falcidia* deduci valet, non solum ex legatis, sed etiam ex donationibus causa mortis; computando tamen in hac quarta parte, quod per hereditatem accipit hæres. Ita ut ex omnibus bonis testatoris saltem quarta pars remaneat hæredi. In Hispania etiam posse deduci quartam *Falcidiam* probabiliter judicamus, cum non sit jus particulare expressum in contrarium. Plures sunt casus, in quibus nequit detrahi quarta

Falcidia. 1. quando testator conscius suæ hereditatis, id prohibuit. 2. quando legata sunt pia, nisi etiam hæres causa pia sit. 3. quando datur prohibitio legatum alienandi. 4. non detrahitur ex legato libertatis. 5. quando hæres non fecit inventarium intra tempus a lege præscriptum. Alios videsis apud AA. & consule leges, ac consuetudines cujusque Provincie, ut in unaquaque quid agendum scite resolvas.

MONITUM.

Curent Confessarii monere suos poenitentes præsertim provectioris ætatis, ut condant testamentum, dum sunt sani, nec illud procrastinent usque ad postremum vitæ, quando morbo gravati, doloribus afflicti, moerore, ac mortis timore turbati vix illud rite, aut maturo judicio, ut par est, disponere valeant. Ipse vero Confessarius, esto vocatus, vel rogatus minime se intromittat in dispositione bonorum testatoris: hoc enim ei nec congruit, nec convenit. Sui quippe muneris solum est, quod fiat testamentum opportuno tempore, & quod bona testatoris, aliæve obligationes, si forte adsint, clare, distinte, juste, ac pacifice disposita maneant; ita ut litibus janua omnis cludatur. Studeat pariter, dum infirmo jam morituro assistit, quod sepulturam libere eligat; sive enim condat testamentum, sive non, sive illud ex aliquo defectu sit invalidum, electio tamen sepulturæ valida est, quoties constat per duos testes. Si autem infirmus, ut aliquando accidit, manifestet Confessario regulari velle se sepeliri in Ecclesia ejus cœnobii, moneat eum, ut id declaret coram testibus; alias infirmo decedente sine ampliori declaratione, tacere convenit regulari. Omnes Parochi, vel Confessarii infirmorum testamentum præ oculis habeant schedulam Caroli III. 1771. annullantem dispositionem infirmorum, in favorem Confessariorum. Eorumque communiter, vel Ecclesiarum.